

etia ciborum est actus virtutis, in quodam medio consistere debet, secundum rectam rationem. Vnde qui abstinentiam quandam magnam faceret, ita, vt natura deficeret, ex alio extremo peccaret, & tanta posset esse extrema, respectu suæ complexionis, vt mortaliter delinqueret, nam sæpenumero accidit, vt qui in his, quæ sunt de consilio, supra modum abundare vult, in necessarijs postea deficiat, eo quod inhabilem se facit ad præceptorum obseruantiam. Quo ad secundum, scilicet vt est præceptum Ecclesiæ, non est attendenda solum finis necessitas, aut vtilitas; vt supra; sed vis præcepti, obligans omnes æqualiter ad eius obseruantiam; quamuis enim aliquis ciborum abstinencia non indigeat, vt carnem reprimat, vel vt ad contemplationem elenetur, & huiusmodi, quæ sunt ieiunij finis, non tamen ab eius obligatione efflet exclusus; præceptum enim Ecclesiæ non respicit immediatè finem, sed quod ad finem ordinatur.

Accedit & alia ratio, pro qua Ecclesia omnes obligauit; nam, etsi pro futuris, aliquis ieiunio non indigeat, indiget tamen eo, pro remedio vniuersali; pro quo etiã institutum est, scilicet pro peccatis, vel præteritis satisfaciendis, vel pro futuris cauendis; nemo enim sine peccato in hac vita esse potest, te fte Ioanne in epistola prima Cano.

His prælibatis tria de ieiunio legis euangelicæ colligimus ab Ecclesia esse statuta, scilicet tempus, modum, & vniuersalitatem obligationis. Hinc super his quinque examinanda duxi. Et primo quo ad tempus, videndum est, in quibus diebus est ieiunandum, & in qua hora diei. Quo ad modum, a quibus cibis abstinendum ieiuniorum tempore, & quot refectioes in vna die sumende sunt. Quo ad vniuersalitatẽ præcepti, qui excusari possunt ab hac obligatione, prout ex doctrina D. T. sui commentatoris, 2. 2. q. 147. per totum, Siluæ. Verba ieiunium, Nauar. cap. 2. 1. nu. 11. Angeli, & Riccardi in 4. & multis alijs recolligere potuimus.

De primo dicitur. Cum ieiunium ad duo ordinatum esse dicatur, ad culpæ scilicet deletionem, & mentis ad superna eleuationem; meritò illis temporibus, ieiunia præcepta fuerunt, in quibus homines purgari oportebat; & mentes, per deuotionem, ad Dei beneficia contemplanda nobis præstita eleuare debebant, quæ præcipuè in solemnitatibus Natiuitatis Domini, & Paschatis Resurrectionis fieri conueniens est: ideo tres quadragesimæ olim celebrabantur; scilicet antefestum Natiuitatis, ante festum Paschatis, & quæ per 13. dies ante festum Sacti Ioannis Baptistæ Domini præcursoris celebrabatur, quæ ex toto ab vsu Ecclesiæ delata est, quæ autem ante natiuitatem Domini, solis Religiosos ex regulæ præcepto relicta est: quæ verò ante Pascha fit, omnibus Christianis fidelibus vtriusque sexus præcipitur: vt tota ieiunetur præter dies Dominicos. de Consecratione distinctione 3. c. Placuit, alias non satisfit præcepto, ut dist. eadem c. Non oportet, nisi ex causa deficiat, prout infra dicitur. vt per carnis mortificationem, Christi passioni conformemur, quando recolitur memoria eius sepulture, significatæ per Baptismum, per quem omnes Christo conspelimur in eius morte, vt ait Apostolos ad Romanos sexto, cuius memoria fit in Sabbatho Sancto, ante diem resurrectionis.

Eadem ratione, in omnibus vigilijs præcipuarum festiuitatum, ad quas celebrandus, nos per ieiunia præparare oportet; præter quam in tempore Paschali distinct. 76. §. Non autem: vbi à Pascha vsque ad Pentecostem non inducuntur feruere ieiunia, ieiunia enim quæ præcepto Ecclesiæ instituta sunt: ieiunia afflictionis dicuntur, quæ non conueniunt in diebus lætitiæ, ideo diebus Dominicis, & toto tẽpore paschali ieiunari non debet, nisi pro deuotio-

ne, vo-

*Ieiunium ut  
præceptum  
ecclesia ob-  
ligat oēs.*

75  
*In ieiunio  
ecclesia tria  
consideran-  
da.*

*Tempus iei-  
unandi.*

*Tres qua-  
dragesimæ  
celebrantur  
in primitiua  
ecclesia.*

*Ieiunium  
quadragesi-  
mæ quid si-  
gnificat.  
A Pascha,  
ad Pascha  
non reue-  
nit ieiunare.*